

atque latae veteris testamenti leges omnes, Syri atque Arabes Agar nominant, ut, et Theophilatus docet, et scholia Graecorum. Unde Agar duplici ratione refertur ad vetus illud significandum testamentum, una quod genuit in servitutem, id est, quia conditione serva erat. Altera quia nomen commune habet cum eo monte, in quo id confectum est testamentum. Quod etiam significasse visus est Paulus cum dicit: QUAE EST AGAR. Id est, qui mons Sina, etiam Agar nominatur. Idque adhuc magis declarat subiciens. SINA ENIM MONS EST IN ARABIA. Nam graeci codicis, quod et Graeci explanatores, et e latinis Ambrosius agnoscunt, hic sic habent: τὸ γὰρ Ἀγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ὃν τῇ Ἀραβίᾳ, id est, ipsum enim Agar Sina mons est in Arabia. Iterum Agar posito nomine, quo plane significant Agar ejus montis, quem Hebraei Sina nominant, etiam esse nomen. Quod et Syriaca editio confirmat, in qua sic, Agar mons est Sinai in Arabia. At vero quod addit eodem de monte dicens: QUI CONJUNCTUS EST EI, QUI NUNC EST HIERUSALEM, explicari non facile potest. Nam et Mello, et Sion, et Moria montes, in quibus Hierosolymae sitae sunt, multorum dierum itinere a Sina monte distant. Qui ergo dici possint inter se conjuncti, qui ne vicini quidem sint?

Quidam sic: QUI CONJUNCTUS EST, scilicet radicibus non jugis. Nam etsi juga eorum montium invicem distat, tamen multorum montium mutuo conjunctorum tractu, atque serie copulantur. Ita Eucumenius. Alii, quia is mons ad Hierusalem spectat, cum ea conjungi dici contendunt. At hi, quomodo spectet, non explicant. Alii conjungi dicunt, quia Arabia, in qua Sina est, attingit Judaeam a meridie. Sunt qui contendunt, quia ab Sina profecti Israelitae Palaestinam venerunt, ideo Sina conjungi cum Hierosolymis, non loci vicinia, sed viae sinuosae flexu atque tractu perpetuo. Inepte et frigide. Plures conjunctum interpretantur non loco, sed allegoria, et similitudine, quod non abest a vero. Porro quid ipse sentiam sic explico.

Σύστοιχον, quo Paulus verbo usus est, inter alia significat consensum in natura, aut ingenio, ex quo ὃν ταῖς κατηγορίαις, quae in eodem sunt ordine atque serie vocantur Σύστοιχα. Ergo quia Paulus dixerat, Agaris nomine atque persona vetus esse significatum testamentum, quod Deus in Monte confecit Synai, id ut explicaret, et confirmaret magis probationes, subjecit dicens. AGAR SINA MONS EST IN ARABIA, QUI CONJUNCTUS EST EI, QUI NUNC EST HIERUSALEM. Quasi diceret. Agar, inquam, merito typus est ejus testamenti, in Sina confectum fuisse quod dixi, quia commune habet cum illo monte nomen. Nam et Sina mons Syris Agar nominatur. Is porro mons illud significat testamentum, tum quia ibi id confectum est, tum quia est in Arabia, id est, extra Palaestinam in loco deserto et inculto, in quo eidem est simile Testamento, quod et horridum quodammodo et incultum erat, quoniam non satis excolebat ad justitiam suos, et eos poenarum metu et horrore terrebat: et erat extra Palaestinam coelestem situm, quia suos cultores in coelum non inferebat: quas ob causas is mons per omnia similis est atque conjunctus, id est, positus in eadem serie et ordine cum Hierusalem, utpote qui cognationem naturalem, uti ostensum est, habeat cum illa. Nam per metonymiam Hierusalem pro eo ponitur, cujus in Hierusalem potissimum vigeat cultus, id est, pro institutis Mosaycis. Itaque Hierusalem, Mosayca lex, mons Sinai, Abrahami ancilla Agar σύστοιχα sunt, quia ad eandem seriem atque ordinem pertinent, quod ex subjecta tabella fiet planum.

	SERVITUS	ABRAHAM	LIBERTAS
	Agar. serva.	Foeminae duae.	Sara libera.
HISTORIA	Minus solemne cum Agar.	Conjugia duo.	Solemne et legitimum cum Sara.
	Ismael in carne servus.	Filii duo.	Isaac ex repromisis in- genuus.
	Hierusalem terre- na serva.	Civitates duae.	Hierusalem coelestis li- bera.
ALLEGORIA	Lex in Sinae Cae- remoniae.	Testamen- ta duo.	Evangelium Spi- ritus.
	Judaei, qui in cae- remoniis manent.	Filii duo.	Fideles qui in lege gra- tiae sunt.
	207102102		207102102

ET SERVIT CUM FILIIS SUIS. Quidam sic. Et Sina mons et Arabiae regio omnis servituti subjecta est, ut etiam hac ratione vetus testamentum referat expressius. Sed rectius videtur, ut Hierusalem dicatur cum filiis suis servire, quae certe tunc duplicem serviebat servitutum et civilem et legitimum: nam et Romanis parebat, et Mosaycos servabat ritus. Porro juvat hoc loco cernere quibus Paulus gradibus ad id, quod sibi proposuit, pervenit: quantoque cum iudicio allegoriam exposuit. Nam primo docuit in Agar imaginem inesse montis Sinai, quod Agar etiam is mons arabice vocaretur. Deinde via progrediens ostendit illi monti cum terrena Hierusalem natura convenire. Postremo demonstravit eam Hierusalem servituti addictam esse, et ob id

vetus in ea significari Testamentum, cuius etiam Testamenti ipsa erat praecipua sedes, atque domicilium. E quibus omnibus in unum collatis, sibi quod proposuit, collegit, in Agar inesse veteris imaginem Testamenti. Sed pergit:

15.—*Illam autem, quae sursum est Hierusalem, libera est, quae est mater nostra. Scriptum est enim: laetare sterilis, quae non parit: erumpe, et clama, quae non parturit, quia multi filii desertae magis, quam ejus, quae habebat virum.*

Docuit vetus Testamentum significatum fuisse in Agar, et pro conditione Agar similiter generasse in servitutum, id est, non liberasse suos cultores a peccato, sed oppresisse eos et servili metu, et gravi legis onere: nunc accedit ad aliam partem allegoriae, docetque in Sara novum Testamentum significatum esse, ipsumque fuisse liberum, id est, libertatis efficiens, sicut et ipsa Sara libera fuit. Atque quemadmodum vetus Testamentum Hierusalem terrenam figurate nominavit, sic novi nomen indit Hierusalem, quae sursum est: quo nomine significat piorum Ecclesiam, in qua et id viget Testamentum, et ea floret libertas.

Itaque ait: *ILLA AUTEM HIERUSALEM, QUAE SURSUM EST, LIBERA EST.* Opponit Ecclesiam Synagogae, Testamentum vetus novo, quasi dicat. Haec Hierusalem terrena, et quae apud eam religio viget, servit cum filiis suis, sicut et Agar, quae ejus fuit imago, serviebat. At Hierusalem, quae sursum est, quia de supernis ad nos descendit locis, sic enim piorum Ecclesiam vocat, quia de coelo tota pendet, quiaque coelestis est ejus fides atque testamentum, quo tota illius continetur religio, libera plane est, uti et Sara, quae typum gessit ejus, libera fuit. Sed occurrit quaestio, utra Ecclesia hic Hierusalem superna nominetur, quae militat in terra, an quae triumphat in coelo. Sunt qui triumphantem significatam velint. Sed rectius sentiunt, ut mea fert opinio, qui

militantem affirmant. Nam de eo agit Paulus, ut doceat Ecclesiam fidelium praestare Synagogae, et fidelibus legis cultum esse inutilem: quam ad rem triumphans Ecclesia parum apte in contentionem adduceretur. Igitur, quae militat, ea Hierusalem superna nominatur, quod ejus cives non e carne aut e sanguine nati sint, sed potius ex Deo geniti, et in Deum atque in coelum semper intenti. Ex quo idem (1): Conversatio nostra in coelis est. Et rursus (2): Quae sursum sunt quaerite, non quae super terram; sed restabat, ut doceret pertinere Galatas ad filios Ecclesiae, quo sic constare et ipsos esse liberos, et futurum, legi si addixissent se, ut eam libertatem amitterent, et servorum conditionem subirent, in quem finem tota haec spectat oratio. Id ergo docet subjiciens: QUAE EST MATER NOSTRA. Quasi diceret, Ecclesia superna libera est, et ea est mater nostra, ex quo efficitur, ut et ipsi liberi simus. Nam nostram cum dicit, non se modo aut e Judaismo fideles, sed sine exceptione universos, qui in Christum credunt, intelligit. Quod ut constet eam matrem esse omnium, id est, omnis generis fidelium, ut in eis etiam Galatae intelligantur inclusi, adducit Esaias testimonium, dicens: SCRIPTUM EST ENIM: LAETARE STERILIS, QUAE NON PARIS, ERUMPE ET CLAMA, QUAE NON PARTURIS, QUIA MULTI FILII DESERTAE, MAGIS QUAM EJUS, QUAE HABEBAT VIRUM. Quibus verbis Esaias in capite quinto cum Ecclesia loquitur, eique gratulatur de multitudine filiorum, quos erat habitura: tum ipsam cum Synagoga, neutrius expresso nomine, confert, ac futurum praedicat, ut foecunditate, et credentium multitudine Ecclesia superet Synagogam. Itaque sermone ad illam converso cum ipsa ut cum foemina ita fatur: LAETARE STERILIS, QUAE NON PARIS, et quae sequuntur.

Sed quaeritur quam ob causam Ecclesia dicatur sterilis? Nonnulli ob id, quia ante Christi adventum nullos filios

(1) Philip. III. (2) Colos. III.

Deo peperit. Sed falso id et inerudite. Nam qui ante Christi adventum extiterunt justi, quorum fuit multitudo maxima, ad Ecclesiam Christi omnes pertinuerunt, ut recte docuit Augustinus, quia ob fidem in Christum omnes illi effecti justi sunt. Quod si ante Christum natum filios Ecclesia non habuit, sequitur ne fuisse ipsam ante natum Christum, quando nihil aliud est Ecclesia quam fidelium conventus. Quare alii sterilem dicunt, quia Sara, quae typus ejus fuit, et ipsa erat sterilis. At Sara ejus in eo non esset typus, nisi inesset in Ecclesia aliquid unde nominaretur sterilis. Plerique affirmant haec dici de Ecclesia congregata ex gentibus: nam haec ante Christum natum, quod ad justitiae ac sanctitatis attinebat germina, haud dubie fuerunt steriles. Itaque Ecclesia proprie non est sterilis, nam conventus fidelium Ecclesia dicitur, sed conventus gentium antequam Christum coleret, is sterilis fuit. Qui tamen conventus vocatur Ecclesia figura quadam, quoniam futurum erat ut esset Christi Ecclesia, ex illo enim maxima ex parte ducta est atque orta. Verum haec explanatio a Pauli sententia est aliena. Nam Paulus sine dubio de ea Ecclesia Esaiam arbitratur loqui, qua de Ecclesia ipse loquitur. At ipse de Ecclesia loquitur jam fidei, ac de ea, quae universos fideles sive e gentibus sive e Judaeis collectos complectitur.

Id declarat quod dicit: QUAE EST MATER NOSTRA. Paulus enim natura Judaeus ad collectam e gentibus Ecclesiam non pertinebat. Quapropter dici, ut opinor, debet nominari sterilem quomodo et typus ejus Sara sterilis nominatur. Quae certe dicta est sterilis, non quod nullum foetum edidit, sed quod quem edidit non naturae suae edidit foecunditate, sed coelitus accepta facultate gignendi: sic Ecclesia quoque gignit filios, eos omnes coelesti satu gignit, non naturae facultate atque vi. Nemo enim pertinet ad Ecclesiam familiae aut generis jure, quomodo ad Synagogam pertinebant omnes, qui ad Jacobum Isaachi filium

suum referebant genus, sed ut Paulus ad Colossenses scribit (1). Ibi, id est, in Ecclesia Christi, non est Gentilis, et Judaeus, circumcisio, aut praeputium, Barbarus, et Scytha, servus et liber, sed omnia, et in omnibus Christus. Et ut Joannes de fidelibus (2): Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.

Itaque ait: LAETARE STERILIS, QUAE NON PARIS, id est, quae non vi naturae, et consueto nascendi more, sed virtute coelesti gignis filios. ERUMPE, ET CLAMA, prae laetitia, scilicet, QUAE NON PARTURIS. Nam etsi natura sis prorsus infoecunda, ac nulla certa in gente, ac natione collocata, et hac ex parte deserta, tamen plures es habitura filios, ac cives: QUAM EA, QUAE HABET VIRUM, id est, quam Synagoga, quae carne foecunda est, quaeque habet hominum genus quoddam, ad quod quicumque pertinet, idem ad ipsam pertinere censetur. Sequitur:

16.—Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus, non enim erit haeres filius ancillae cum filio liberae.

Exposita allegoria, ad id nunc explanandum accedit, cujus causa mentionem ejus fecit, itaque dicit: NOS AUTEM, FRATRES, SECUNDUM ISAAC PROMISSIONIS FILII SUMUS. Id est. Sicut Isaac non naturae vi, aut consueto nascendi more natus est, sed promissionis virtute: sic et nos ad id genus Ecclesiae pertinemus, cujus filii non carnis propagatione, sed virtute spiritus, et fidei nascuntur. Quod ita se habere ut magis explanet, in medium profert aliud quiddam, in quo illi duo Abrahami filii horum populorum imaginem sustinuerunt. Nam Ismael puer adhuc cum esset, moles-

(1) Colos. III. (2) Joan. I.

tus erat Isaac et ipsi puero, quam rem aegre ferens Isaachi mater Sara, Ismaelem paterna domo exegit, ut in Genesi scribitur. Sic ergo, inquit, et nunc Judaei legis studiosi iis, qui juxta promissionem Abrahami filii sunt, id est, Evangelii cultoribus molestiam exhibent, sed quod tunc accidit, idem nunc etiam evenit. NAM SCRIPTUM EST: EJICE ANCILLAM ET FILIUM EJUS, NON ENIM ERIT HAERES FILIUS ANCILLAE CUM FILIO LIBERAE. Sic et hi, quorum ille imago fuit, ipsorum antiquato testamento, et paterna ipsi domo exturbati, et expulsi, Abrahamo promissam non consequentur haereditatem. Addit tandem.

17.—Itaque fratres non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit.

Concludit argumentationem, idque subjicit, cujus efficiendi causa posuerat superiora omnia. Sic prope inquit. Ex hoc fratres conficitur vos non esse ancillae filios, neque ad id pertinere testamentum, quod servit, quin legibus solutos esse Mosaycis, esseque filios liberae, id est, promissionis filios, et novi testamenti alumnos veros, ac proinde liberos ab omni veteri observantia, in quam libertatem Christus vos asseruit. Ex quo consentaneae: